

Documenta

Decretum super martyrio Petri Hadriani Toulorge

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM
CONSTANTIENSIS ET ABRINCENSIS
BEATIFICATIONIS seu DECLARATIONIS MARTYRII
SERVI DEI
PETRI HADRIANI TOULORGE
SACERDOTIS PROFESSI
CANDIDI ET CANONICI ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS
(† 1793)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Carissime frater mi, laetare quod crastina die patronum habebis in caelo, dummodo Deus, uti spero, me sustineat, quemadmodum hactenus fecit. Laetare, quoniam Deus me dignum invenit qui non tantum carcerem patiar verum etiam ipsam mortem pro Christo Iesu Domino nostro».

Verba haec, quae Petrus Hadrianus Toulorge suo fratri Ioanni Baptista pridie obitum scripserat, efficaciter ostendunt Servum Dei plene conscium fuisse de instanti martyrio et participem passionis Domini Iesu; eodemque tempore integrum exhibent eius vitae percursum, quem ipse summa erga Ecclesiam fidelitate suscepit.

Petrus Hadrianus natus est die 4 mensis Maii anno 1757 in pago *Muneville-le-Bingard*, in loco vulgo dicto *La Quièze*, minor natus ex tribus filiis e ruricola familia. Eodem die quo primum lumen vidit baptismali aqua lustratus est. Sed, pro dolor, quattuor post dies mater eius mortem obiit. Inde ab infantia se ad sacerdotium vocari persentiens, Servus Dei institutionem obtinuit primo apud quoddam collegium ac deinde apud Seminarium Constantiense. Sacro prebyteratus ordine auctus est anno 1782. Nominatus est in loco *Doville* Vicarius paroeciae

admodum pauperis, sub patronatu Abbatiae Praemonstratensis Blancalandaе. Hanc communitatem frequentans, iuvenis sacerdos vitam praemonstratensem affectavit eamque ingredi petivit. Itaque noviciatum explevit in abbazia Belli Portus et anno 1788 in abbatiam Blancalandam regressus est uti canonicus regularis. Sed duo post annos, in caliginoso periodo Gallicae Eversionis, ad effectum adducta est lex cuius vi Religiosi Ordines supprimebantur, ita ut Servus Dei, postquam expressit die 10 mensis Iunii anno 1790 voluntatem vitam communitariam cum aliis duobus confratribus prosequendi, coactus est ad Abbatiam relinquentem, apud vicinia tamen permanens.

Cum, per legem die 26 mensis Augusti anno 1792 editam, omnibus clericis publica officia implentibus iniunctum est emittere ius iurandum fidelitatis erga Civilem Constitutionem, ille, in errorem inductus, censens regredi posse inter innumeros religiosos dioecesis Constantiensis, qui coacti erant ad perfugium inveniendum in Anglica Insula vulgo Jersey, reliquit Galliam pro exsilio. Sed, erroneam advertens interpretationem, in patriam rediit ubi reconditam egit vitam, eucharisticum sacrificium saltuatim celebrans intra iurisdictionem suae ex-Abbatiae.

Contentio tamen politica paulatim progrediebatur, implicans magis in dies Ecclesiam eiusque ministros, eo ut in veram et propriam persecutionem mutaretur. Hoc in historico contextu, noto sub vulgari nomine "Terror", Servus Dei, qui extremo tempore in locis absconditis vixerat, accusatus est coram publicis auctoritatibus, quae statuerunt ad eius comprehensionem procedere. Ipso instanti quo captus est, die 3 mensis Septembris anno 1793, secum ferebat, servatos in sacculo, textus canonum liturgicorum quos manu exscripserat pro celebratione eucaristica in honorem Spiritus Sancti et Beatae Mariae Virginis, necnon album habitum praemonstratensem aliaque utensilia. Sequentibus diebus auctoritates administrativae oppidi Carentan interrogaverunt eum, arguentes de eius condicione sacerdotis «contumacis», clandestini, immo emigrati. Primo instanti Servus Dei incusationes refutavit. Deinde tamen, advertens quod negativum suum responsum sub pretio mendacii propriam vitam servavisset suamque sacerdotalem dignitatem detrectavisset, ad gratiam definitive sese aperiens, timorem superavit et causas accusationis admisit.

Tribunal, nulla attenuanti interposta ratione, ad machinam decollatoriam damnavit eum. In vinculis Servus Dei testificationem dedit intensae serenitatis et tranquillitatis, solamen ferens aliis ecclesiasticis et laicis cum illo adstantibus. Extremam noctem exegit ternas scribens litteras, nempe ad fratrem suum et ad duos amicos, quibus conscientiam aperuit

se ad occisionem esse ducendum propter odium fidei catholicae et Ecclesiae, et promptum fore ad amplectendam, licet indigne, gratiam martyrii. Sequenti die, priusquam duceretur ad locum supplicii, suis in carcere sociis affirmavit quod pro ipsis intercederet et pro omnibus, immo pro persecutoribus oraret.

Deinde benedixit eos. Sereno vultu, uti firmae fidei et inconcussae spei pignore, accessit ad patibulum erectum in platea municipii Constantiensis, coram multitudine, quae mutescens et commuta contemplabatur hunc iuvenem sacerdotem summa animi pace morti obviam euntem.

Servus Dei capite truncatus est die 13 mensis Octobris anno 1793. Extrema eius verba audita sunt a quodam teste, tunc puero decem annos nato, qui postea rettulit ea quae Servus Dei paulo ante mortem pronuntiaverat: «Deus meus, in manus tuas commendo spiritum meum. Precor te pro restauratione et tutela sanctae Ecclesiae. Da veniam, quaeso, inimicis meis». Corpus eius sepultum est in Constantiensi coemeterio Sancti Petri. Statim Servus Dei veneratione est honestatus uti martyr Veritatis.

Anno 1922, quo incohata sunt diversi Processus Dioecesani de martyribus ob eversionem in Normandia, Causa Petri Hadriani Toulorge speciali pondere digna visa est. Quapropter, a die 26 mensis Iulii ad diem 4 mensis Octobris anno 1928 apud Curiam dioecesanam Constantiensem-Abrincensem instructus est Processus Ordinarius Informativus, quem secuta est a die 16 mensis Novembris anno 1995 ad diem 29 mensis Iunii anno 1996 Inquisitio Dioecesana Suppletiva circa assertum martyrium et famam martyrii Servi Dei, quandoquidem eius Causa seiuncta erat a ceteris die 24 mensis Aprilis anno 1995: quorum iuridica validitas approbata est per decretum die 8 mensis Maii anno 1998 vulgatum. Die 5 mensis Decembris anno 2000 habita est Sessio Consultationis Historicae ac die 15 mensis Iulii anno 2010, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Die 1 mensis Martii anno 2011 Purpurati Patres et Episcopi in Ordinaria Sessione congregati, excipientes relationem Ponentis Causae, Exc.mi D.ni Iusti Mullor García, Archiepiscopi titulo Volsiniensis, agnoverunt mortem Servi Dei verum fuisse martyrium, quod *in odium fidei* ipse pertulit atque veluti donum gratiae vixit et accepit.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, odierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei*

Petri Hadriani Toulorge, sacerdotis Professi Candidi et Canonici Ordinis Praemonstratensis, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 2 mensis Aprilis A.D. 2011.

ANGELUS Card. AMATO, S.D.B.

Praefectus

† MARCELLUS BARTOLUCCI

Archiep. tit. Mevaniensis

a Secretis